

# Academica Intimatio

7 E S V C H R I S T O

# MAJESTATICO NOSTRO TRIUMPHA.

TORI, ob victoriosum ad inferos de-  
scensum, & gloriosam ex mor-  
tuis Resurrectio-  
nem.

## Sacra.

*Omnibusq; & singulis Literaria Reipubl. Civibus  
ex debito rùm honore rùm officio  
publicata,*

à

## RECTORE & SENATU Aca- DEMIE REGIOMONTANE.

*ANNO Dominico clc lcc XXXII.*



REGIOMONTI,  
Excusa typis Laurentij Segebadij.

187

295165





Vc usq; in hebdomada Pœnosa admirandâ Domini & Salvatoris nœstri JESU CHRIST I humilitatem & servi formam in Passione ea qua decuit devotione contemplati sumus, eò quod ut Mediator omnium hominũ peccata in seipsum projecta Esa. 53, 6. sustinuit, & ut agnus Dei portavit ἀνήνεγκεν Joh. 1, 7. 29. 1. Pet. 2, 24. quod justam æterni Patris iram divinãq; ultionis severitatem anima & corpore sensit; quod legis execrationem in se recepit, factus pro nobis κατὰ εὐ Gal. 3, 13. quod nefandis calumniis coram summo Judæorum Pontifice, toto Hierosolymitano Clero, Romanoq; præside oneratus; quod omni probrorum, sublannationum, sarcasmodum, cachionorum, verberum genere exceptus; quod virgis flagrisq; ad columnam alligatus ad sanguinem usq; fœdè cæsus, vulneratus, lancinatus; quod rhamnis in speciem diadematis capite opertus, detrita purpurea tunica circumdatus, arundine in sceptri signum illusus; quod instar malefici ad mortem, mortem autem ignominiosam damnatus; quod inter eundem ad supplicij locum viam sanctissimo suo sanguine coloravit; quod inter duos Latrones quasi dux maleficorum acerbissimo mortis supplicio affectus, crucis supplicio, ex divina lege maledicto Deut. 21, 23. Gal. 3, 13. Quod infernales æternæ gehennæ cruciatus, dolores æternæ mortis, torrentes Belial ad summam animæ tristitiam, sanguineum usq; sudorem & ἀδημιαν περίλυτον καὶ θαμβὸς perfensit; quod lamentabili voce in cruce ad omnium usq; ossium dinumerationem extensus conquestrus est, se à Deo derelictum, quod deniq; inter summos animi corporisq; cruciatus, inter naturæ miranda, animam efflavit, inq; manus æterni Patris commendavit; Occiderat nobis præterita septimana magnus ille mundi oculus, quid? Creator. Magnus ille Sol iustitiæ Mal. 4, 2. Lux illa, quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem Joh. 1, 9. Hinc tenebræ, tristitia, pavor, dubitatio in animis discipulorum, hinc obseratæ fores præ metu Judæorum.

Nunc



Nunc verò post densas nebularum, pavorum, dubitationum  
 tenebras magnus ille Sol, qui rubicundus ut vir ex Edom Esa. 63, 1.  
 occiderat, serena aurorâ, omnibus Christianis peramicâ, magno  
 eum splendore discussis undiq; nebulis exoritur, novus mundus  
 cum splendore discussis undiq; nebulis exoritur, novus mundus  
 prodit, durantem illam perpetui diei lucem diffundit, mortuus in  
 vitam, in gloriam, in æternam beatitatem prodit. Qui diro mor-  
 tis supplicio crucidatus & cavernis sepulchri inclusus fuerat, omnia  
 mortis repagula, omnes veves & ligamina dirupit, contrivit, &  
 de clauso sepulchro gloriosè vivus congratulante terrâ, congratu-  
 lante Sole, congratulantibus Angelis prodiit, qui ante despectus,  
 deformis, abjectus fuerat, nunc omnium formosissimus & deside-  
 ratissimus in cœlo & terra habetur, qui spinis, flagellis, clavis,  
 lanceâ cruentatus, dedecoratus fuerat, nunc coronâ æterni regni  
 ornatus, regio sceptro insignis, rerum omnium gubernationem  
 potenter & præsentèr administrat; qui infra omnes homines & an-  
 gelos abjectus Ascham, peccatum & maledictio factus fuerat, nunc ad  
 dextram æterni Patris supra omnes principatus, potestates, thronos,  
 dominationes, erectus est Eph. 1, 21. Exaltavit illum Deus, & dedit ei  
 nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine ejus se flectant oportet om-  
 nia que in cœlo, que in terrâ, & sub terrâ sunt, & omnis lingua confite-  
 teatur, quod Iesus Christus sit Dominus ad gloriam Dei Patris Phil. 2, 10,  
 11. Vbi tuus, ô mors, aculeus? Vbi tua, ô inferne victoria? 1. Cor. 15,  
 55. Captiva ducta est captivitas Psal. 68, 19. Absorpta est mors in victo-  
 riam, absterse lacryme ab omnibus faciebus nostris, amotum opprobrium  
 populi à tota terrâ Esa. 25, 8. 1. Cor. 15, 54. Morti mors, inferno lues  
 vel exitium hic perruptor gloriosa suâ resurrectione factus est, Os.  
 13, 14. mortem moriendo & resurgendo destruxit *Φωτισεν* *Θ* *de ζωῆν*  
*καὶ ἀφ' ὀφθαλμοῦ* 2. Tim. 1, 10. Per mortem destruxit eum, qui habebat mor-  
 tis imperium, id est, Diabolum Ebr. 2, 15. Expoliavit principatus & po-  
 testates *ἐδευγάθησαν ἐν παρρησίᾳ θεοῦ καὶ βένσας αὐτῆς ἐν αὐτῆς*, tradu-  
 xit palam & de illis triumphum egit, Col. 2, 15. Jo! Jo! Liberati sumus  
 de tenebris & umbra mortis, Luc. 1, 79. de manu inferni, deq; morte  
 Os. 13, 14. qui timore mortis per totam vitam obnoxij eramus servituti,  
 Ebr. 2, 14. Vita & immortalitas in lucem producta est per eum, 2. Tim. 1,  
 10. Resurrectio facta est propter nostram iustitiam, Rom. 4, 25. Imò  
 & nostram Resurrectionem in animis nostris plantandam, erigendam,  
 confirmandam. Resurrexit enim ut *ἀρχηγὸς ἡς ζωῆς ἁθ* Rom. 3, 15.



ἀρχὴ 1. Cor. 15, 20. πρῶτη ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν Act. 26, 23.  
 πρῶτον ( ἰσὸ & ἀρχὴ ) ἐκ τῶν νεκρῶν Col. 1, 18. Apoc. 1, 5.  
 Principium, fons, origo, causa. Ut enim ἀρχὴ est τῆς κτίσεως θεῶν Apoc.  
 3, 14. ratione principij & cause, omnium creaturarum, ita & ἀρχὴ  
 ἐκ τῶν νεκρῶν. Ipsum quod cecidit in morte, quod jacuit in sepulchro, hoc  
 & resurrexit non tam Christus in carne, sed CARO in Christo, ut Ter-  
 tullianus scitè hâc de re loquitur, in libro de Resurrectione carnis.  
 Ergò Rex Christe, tibi sit honor Halleluja. Quia quam pertulisti pro no-  
 bis mortem, resurgendo devicisti, Halleluja. Letemur in nostro Redempto-  
 re & Perruptore, Halleluja. Quia quem percusserat Pater ob peccata po-  
 puli, Resurrexit sicut dixit, Halleluja.

De hoc glorioso & triumphante Dominicæ Resurrectionis  
 actu, ejusq; copioso & uberrimo fructu fusiores & accuratioris in  
 sacris conventibus homiletici sermones instituentur, ad quorum  
 attentam audientiam omnes Literariæ nostræ Reipubl. Cives, om-  
 nesq; eos, quibus pietas propriaq; salus curæ cordiq; est, hâc in-  
 titimatione sanctè & solenniter invitamus. Nos ex Academico mos-  
 tre hæcenus inviolabiliter observato, ad exsuscitandos magis ma-  
 gisq; in hâc gloriosa & læta planè Festivitate literatorum animos  
 telam Articuli ( cum Dominica Resurrectione individuo nexu co-  
 hærentis ) De descensu Christi ad inferos anno præterito inceptam hâc  
 vice pertexemus,

Pertractatus est Academicè præterito Vere versus 10. Psalmi  
 16. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum vide-  
 re corruptionem, probatumq; 1. Contra Judæos & Judaizantes, totum  
 Psalmum 16. & consequenter 10. Psalmi versum in literâ non nisi ad  
 Messiam referendum, ideo alium literalem sensum querere est judaizare,  
 Lyrano teste. 2. Monstrata est Judæorum ut & Calvini ex Beza Ju-  
 daizantium perversa explicatio v. 10. præ nominati Psalmi. 3. Mo-  
 nitum sepulchro Pontificio dogmate de descensu Christi ad limbum pa-  
 trum, Servatorem ad inferos descendisse secundum distinctos status, &  
 tione κενώσεως modificatè eo tempore, quo in agone, in horto & cru-  
 ce infernales cruciatus persensit, vel ὠδύνας τῆς θανάτου æternæ sc.  
 Act. 2, 24. ὠδύνας αἰδῶν Psal. 18, 5. Hunc enim exquisitum infer-  
 naliu cruciatuum sensum sæpè per ductum in infernum describit  
 ipse S. Sanctus 1. Sam. 2, 6. Psal. 30, 4. Confer Tob. 13, 2. vide &  
 Psal. 18, v. 5, 6. 116, 3. Et de hoc Metaphorico descensu Christi ad in-  
 feros



Feros v. 10. Ps. 16. loqui, aliquot argumentis probatum dedimus. Ratione verò status ὑπερψύχως noster liberator ad inferos gloriosè descendit post mortem & sepulturam, teste Symbolo Apostolico, de cujus vero intellectu nonnulla in medium producemus.

PRINCIPIO notandum præsentem Apostolici Symboli fidei Articulum de descensu Domini ad inferos hinc inde apud Ecclesiasticos Patres silentio præteriri. Hinc nonnulli vehementius impugnant hunc descensum, dicentes, eum planè tollendum è Symbolo. *Irenæus*, Lugdunensis Episcopus, antiquissimus ex Patribus & proximus temporibus Apostolorum lib. 1. c. 2. adversus hæreses recenset *πίστιν* universæ Ecclesiæ traditam ab Apostolis: De Christo verò tantum commemorat, quod natus, passusq; sit, & resurrexerit, inq; cælum assumptus sit, nulla planè descensus ad inferos injectâ mentione. *Irenæum* sequitur *Origenes*, parens ille Allegoriarum, qui & ipse in principio lib. 1. περὶ ἀρχῶν regulam fidei Christianæ recitat & descensum Christi ad inferos silentio involvit, id quod & *Tertullianus* observavit, qui in præscriptionibus adversus Hereticos strictim regulam fidei recitans nec solum hunc de descensu, verum etiam de sepultura omittit. *Cyprianus* præterea refert hunc Articulum de descensu Christi ad inferos non haberi in Romano Symbolo, nec in orientis Ecclesiis recitari. Nec in *Niceno symbolo* hic descensus commemoratur, nec *Nicenz fidei* expositio apud *Athanasium* hanc particulam habet. Apud *Eusebium* quoq; lib. 10. c. 6. fidei *Nicenz* exemplar habetur, in quo omissa est hæc clausula, & in symbolo *Damasci* apud *Hieronimum*. *Augustinus* item sermone 123. de tempore Tom. 10. 125. & 129. hunc ipsum articulum præterit &c.

Verùm adhæc omnia facilis est responsio. *Irenæum* per *Irenæum* declaramus, qui in fine sui adversus hæreses operis eum ipsum Articulum pertractat, & eos qui Christum ad inferos descendisse inficiati sunt, gravissimè refutat & hæreseos damnat. Ita *Origenes* homiliis super *Genesin* & alibi. *Tertullianus* in libro de Anima cap. 31. de descensu Christi ad inferos aded non dubitant, ut Pontificiorum sententia Pontificij videantur. Ita *Cyprianus* alibi hunc Articulum manifeste approbat. Sed & quod in infernum descendit (inquiens) evidenter prænunciatur in *Psalmis* ubi dicit: Et in pulverem mortis deduxisti me, & mox testimonium *Petri* affert 1. *Per.* 3. 19. 20. in quo & quid operis egerit in inferno declaratur. Quod verò *Patres Nicenz*



synodi eum Articulum reliquis non adjecerunt, id dubio procul propterea factum, quia in disceptationem ille nunquam venerat, primarius præterea illius synodi scopus erat, non tam reliqua Christianæ religionis capita prolixè explicare, quam *θεολογίας* de Christo vel *ὁμοσίαν* Filij cum Patre asserere. Ipse Eusebius, qui huic synodo interfuit præclare omninò de descensu Christi ad inferos commentatur lib. 4. demonstr. Evangelicæ cap. 12. ubi dicit Christum usq; aded à morte victum non esse, ut mortem usq; ad infernos insecutus sit. Verba sic habent: *πῶς πῆ ἐξ αἰῶνος τῶν σκοτίων μυχλῶν διαρρήγνῃς, καὶ τοῖς αὐτῆς νεκροῖς σείρῃς θανάτου πεπεδημένοις πωλιτῶρον τῆς ζωῆς ὁδὸν τὴν πορείαν ποιεῖμεν* i. e. portas illas infernales tenebrarum à seculo clausas perrupit, ex mortuis, qui jam dudum catenis mortis vinciti tenebamur, reducem ad vitam semitam aperuit.

Athanasius præterea qui tum vixit, in suo symbolo eum Articulum expressit. Symbolum verò Athanasianum in Alexandrinâ synodo Anno Dominico 371. approbatum, & à Catholicâ Ecclesiâ receptum est. Deniq; debilis est consecutio à præteritione vel omissione ad totalem negationem. In Chalcedonensi symbolo non modo hic, verùm & alij Articuli non sunt repetiti, ergone illos antiquatos litura obducos arbitrabimur? Scopus & controversa materies cujusq; symboli diversitatis rationem cuivis prudenti manifesti monstrat. Eadem est ad allegata Augustini responsio, sunt & alia ex eodem Ecclesiastico Patre in contrarium Serm. 131. in explicatione symboli de descensu quoq; Christi verba facit, eumq; Articulum serm. 115. Thomæ Apostolo adscribit, & in pluribus aliis locis Serm. 18. Epist. 57. ad Dardanum Epistola 99. Ps. lib. 17. de C. D. c. 11. lib. 20. cap. 15. tractatu in Johan. 87. eundè declarat. His omnibus antiquior est Thaddæus, cujus nomen catalogo 12. Apostolorum insertum Matth. 10, 3. qui ad Abgarum Edessenorum Regem ita concionatur, quod Christus seipsum humiliaverit, mortuusq; sit, multaq; à Judæis perpeffus & crucifixus ad inferos descendit, sepemq; illam antea nunquam disruptam sciderit & resurrexerit teste Eusebio lib. 1. hist. Eccl. c. ult. Etati præterea Apostolorum proximus Ignatius in Epistola ad Trallianos de hoc negotio ita disserit: *Χριστός ὁ κύριος κατ' ἤλθεν εἰς ἀθῆνας μόνος, ἀνῆλθε δὲ μετὰ πλήθους, καὶ ἔρασε τὸν αἰῶνα φεαγμὸν, καὶ τὸ μεστῶται*



ἦν αὐτῷ ἔλθε, id est, *Christus quidem solus descendit ad infernum, cum  
 multitudine autem rediit, & dirupit septum illud, quod à seculo erat, &  
 maceriem sustulit.* Cum ergò Ecclesia N. T. videret apertè tradi in  
 Scriptura de descensu ad inferos ( ut paulò post firmabitur) gravissimo  
 consilio hunc Articulum in formulam fidei admisit. Ii ergò, qui  
 hunc Articulum ex Ecclesia eliminare conantur, dicant nobis qua  
 ratione factum sit, ut tanto consensu apud omnes nationes in o  
 mnibus linguis adeò constanter & consentienter recepta sit illa  
 clausula? Impossibile sanè videtur, si error hic etiam commissus,  
 quin aliqui se huic opposuissent malo: non sine concertatione fu  
 isset in usum recepta: superessent etiam aliquæ Ecclesiæ, quæ non  
 agnoscerent. Ideoq; consensus ille magnum argumentum est veri  
 tatis, adde Patrum ferè omnium, licet discrepans explicatio, ta  
 men concessio est, aliquem esse descensum, & secundum aliquem  
 modum Christum ad inferos descendisse. Hæc ergo particula in  
 Apostolico symbolo ut *Articulus fidei* pertinaciter retinenda est.  
 Quis nisi infidelis negaverit apud inferos fuisse Christum, verba  
 sunt Augustini Epistola 99.

SECUNDO. Sed & illi qui retinent, non consona adferunt.  
 1. Alij cum sepultura confundunt, quasi idem sit sepeliri & ad inferos de  
 scendere, uti vox ἸΝΨ generalissimi significati & sepulchrum & infer  
 num notat. Verum hæc confusio subsistere nullo modo potest. 1.  
 Namq; magne fuisset oscitantie rem minime difficilem verbis expeditis &  
 claris demonstratam obscuriore deinde verborum complexu magis involvere  
 quam declarare. Etenim quando locutiones duæ rem eandem exprimentes si  
 mul connectuntur, posteriorem esse prioris exegeſin convenit. At verò qua  
 lis erit ista exegeſis, si quis ita loquatur, quod *Christus sepultus esse dici  
 tur significet ad inferos descendisse?* Non est verisimile irreperere potuisse  
 superſuam ejusmodi battologiam in compendium hoc, ubi summatim quam fi  
 eri potest paucissimis verbis præcipua fidei capita notantur. Verba sunt  
 Calvini lib. 2. Instit. c. 16 §. 8. Vel ut Aretius brevius rem com  
 plectitur in Problematis Theologicis loco 43. Probandum est, de  
 scendere ad inferos idem esse, quod sepeliri, & cur res eadem bis poneretur,  
 & obscurius quidem loco posteriore? Addimus & hoc de nostro, Scri  
 pturam descensum Domini ad inferos describere per gloriosam de  
 inferno reportatam victoriam, ut mox firmabitur. At qualem vic  
 toriam Servator in sepulchro jacens de sepultura reportavit? Ar  
 ticu.



ticulus ergò de descensu ad inferos uti eum sepultura non confundendus, ita generalissimam vocis  $\chi\rho\iota\sigma\tau\omicron\varsigma$  notationem coardat, id quod meridiano Sole clariùs apparet ex voce  $\alpha\delta\eta\varsigma$  quæ & LXX. in versuone V. T. & Apostoli in N. T. uruntur.

II. Pontificij hunc descensum Christi ad inferos de limbo Patrum interpretantur. Fingunt enim animas fidelium Patriarcharum in V. T. ad unum omnes in hoc limbo, infernali purgatorio proximo hæsisse, & ita Abrahami quoq; animam eo tempore quo cum divitis anima in inferno constitutâ sermones conferebat Luc. 16, v. 23. & seq. Has Patriarcharum omniumq; fidelium V. T. animas demum hoc descensu Christi ad inferos ex limbo liberatas inq; cælestem beatitatem translocatas fingunt, videatur Belarminus lib. 4. de Christi anima à cap. 6. & seq. Contra hanc Pontificiam de limbo Patrum opinionem quam firmare conantur ex perobscuro Perrino loco 1. Pet. 3, v. 18, 19, 20. ex professio tractationem instruere programatis angustia non permittit. Hoc tantum monemus in hisce Pontificiorum stipulis hanc auri particulam reperiri, quod hic descensus finitis omnibus & animæ & corporis cruciatibus & tormentis cum glorioso quodam actu fuerit conjunctus.

III. Multi ex Ecclesiasticis Patribus & hodiernis etiam Theologis hunc descensum divini nostri Sospiratoris ad inferos spiritualiter explicant de infernalibus ejusdem tormentis & cruciatibus, quos in sanctissimâ suâ animâ in horto & cruce ineffabili modo perferent. Hinc lamentabiles illæ voces: *Tristis est anima mea usq; ad mortem. Deus meus quare me dereliquisti.* Cæpit  $\epsilon\kappa\ \delta\iota\alpha\mu\epsilon\tau\epsilon\alpha\varsigma\ \kappa\alpha\iota\ \alpha\delta\eta\mu\omicron\nu\epsilon\iota\nu$  Marc. 14, 33. Constitutus fuit  $\epsilon\kappa\ \alpha\gamma\omega\gamma\iota\alpha$ , quæ Servatori  $\theta\rho\upsilon\mu\beta\upsilon\varsigma\ \alpha\iota\mu\alpha\tau\ \circ$  per sudorem expresserunt Luc. 22, 44. Et huc referunt illa loca Psal. 16, 10. Non derelinques animam meam in inferno Ps. 18, 5, 6. Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes Belial comburaverunt me, dolores inferni circumdederunt me, preoccupaverunt me laquei mortis. Et illa: Dominus deducit ad infernos & reducit 1. Sam. 2, 6.  $\chi\upsilon\epsilon\iota\ \kappa\alpha\iota\ \pi\acute{\alpha}\gamma\epsilon\iota\varsigma\ \epsilon\iota\varsigma\ \pi\acute{\omicron}\lambda\alpha\varsigma\ \alpha\delta\eta\varsigma\ \kappa\alpha\iota\ \alpha\nu\acute{\alpha}\gamma\epsilon\iota\varsigma$  Tob. 13, 2. Sap. 16, 13. Pia hæc est interpretatio, propterea & nemini hæc de causa hærescos notam inurimus. Notissimum enim est Scripturam & in genere spirituales animæ ob peccata cruciatus, diffidentiamq; de gratia Dei per infernum, per inferni dolores per descensum ad inferos describere. *Posuisti me in locum inferiorem, in tenebras, in abyssum super me confirmatus est furor*



tum, & omnes fluctus tuos induxisti super me, Psal. 88, v. 6, 7. Et in specie spirituales illi in sanctissima Mæliæ animâ dolores per infernûm describuntur locis superiùs citatis. Perpeffus enim est Salvator noster infernales cruciatus, ipsamq; ad eò æternam mortem æternûm damnatorum. Hæc sunt illa *πυρρὴ ὕλη*, hæc *ὠδίνες Ἰαννάρις* Ebr. 2, 9. Act. 2, 24. non naturalis; sed æternæ mortis, quæ propriè ejusmodi *ὠδίνες* concitabat, idq; ex sensu iræ & divinæ maledictionis. Dolores ergò mortis plus important, quam corporeum sensum, propterea nonnulla Exemplaria pro *ὠδίνες Ἰαννάρις* legerunt *ὠδίνες ἀδύς*. Ita Syrus retinuit vocè *Schul*, quam Tremellii per sepulchrum exponit, rectius verò Boderianus reddidit per dolores inferni & ita habet Arabs. Hanc lectionem & Irenæus sequitur lib. 3. adversus hæreses. Et Epiphanius in Ancyrato. Blasphemi ergò Pontificij, negantes Christum infernales infernaliû cruciatuum pœnas & æternæ mortis horrorem sensisse & percussisse, sed eas tantûm perpeffum passiones, quas naturali modo ab hominibus tolerare poterat. Quo ipsò Pontificij fundamentum nostræ Redemptionis diruunt, & ita Magisteriale Ecclesiæ fundamentum, quantum in ipsis est, destruant. Quæ de re in Theologorum subselliis ex professo tractatur. Sententia ergò illa, quæ statuit Christum spirituali suo in statu *κενώσεως* ad inferos descensu infernalem pœnam & damni & sensus ratione perpeffum esse, omninò in Orthodoxa J.C. Ecclesia retinenda est. Nam qui pro nobis factum est peccatum, maledictio, in quem Deus omnium hominum peccata coniecit, qui de Dei derelictione conqueritur, quomodo ille infernales gehennæ & æternæ mortis cruciatus non persensisset? Hic autem sensus non est formaliter determinandus tempore, locore, sed conditione, sed re, magnitudine, pondere, valore. Plurimi namq; sanctorû in hisce terris viventium conqueffi sunt super infernalium istorum cruciatuum tormentis.

Sed manet quæstio: Nû de hoc descensu Christi ad inferos spirituali tempore *κενώσεως* peracto Articulus noster Symbolicus loquatur? Sin hoc, sequeretur 1. Articulû de passione corporales tantûm Christi passiones complexi. Verûm quis hoc credet? 1. Trajectionem Articulorum in illo brevi Apostolici symboli compendio factam. Descensus noster ad inferos est postpositus sepulture. Spiritualis verò & dolorosus ille descensus factus est ante sepulturam, imò & antè mortem.



Cum morte consummati suae omnes & corporis & animae passio-  
 nes secundum 6. Domini verbum in cruce : Consummatum est. Ejus-  
 modi absurda, minuq; probabiles trajectiones anxiam & solici-  
 tam Christiani hominis mentem merito tenent ancipitem, quoniam  
 sensu verba de descensu ad inferos Symbolo Apostolico sunt inserta :  
 Quo referenda Aretij verba : Alij totum hoc, quod de descensu ad  
 inferos scribitur, ad sensum irae divinae referunt, qui sensus eò gravior erat,  
 quod poenas subiret irati Patris pro tanto humani generis delicto. Quae sen-  
 tentia pia est & vera, non tamen huic quaestioni satisfacit. Nam si queratur,  
 quando hic sensus irae divinae inceperit, quando item sit finitus? Respondebunt  
 fortasse, coepisse in horto, dum oravit, & sanguinem sudavit : finitum autem  
 in cruce cum tradidit animam. Verum descensus ad inferos haec omnia est  
 consecutus, ideoq; FRVSTRA afferuntur illa. Verè sensit Christus iram Dei  
 Patris, & fortasse hic sensus coepit etiam cum ex Galilea obfirmata facie as-  
 scenderet, completis jam diebus assumptionis suae Luc. 9, 51. Sed quid illud ad  
 rem? Pertinet ista ad passionem & mortem, quae disertè in symbolo sunt ex-  
 pressa. Aliud autem ab utroq; descendere ad inferos, qui descensus TEM-  
 PORE fuit posterior, nisi concedere illi velint, post mortem etiam Christum  
 adhuc sensitse iratum Patrem, & animam illius cum doloribus inferni adhuc  
 fuisse colluctatam, sed ἀποπαισθη. Haec ille satis orthodoxè.

TERTIO. Loca ergò Scripturae producenda sunt, ex quibus  
 hic gloriosus descensus Christi ad inferos confirmatur. Primum Apo-  
 stolicum locum maximè insignem producimus Ephes. 4.9. Qui a-  
 scendit, quid est? nisi qui & descendit primum eis τῶ κατώτερη μέρη τῆς  
 γῆς in inferiores terrae partes. Per hanc κατώβαθιν Apostolus οἰκονομῶν  
 ἀν ἐναερνώσεως τῶ λόγῳ vix ac ne vix quidem intelligit. Ei namq;  
 sermo est de Christo jam incarnato. Neq; exinanitionis statū Chri-  
 sti intendit. Adducit enim Apostolus Propheticum locum ex Ps. 68.  
 19. ad statum ὑπερνώσεως manifestè pertinentem, ubi Regius  
 Propheta mentionem facit Dominicæ Ascensionis in altum, qua  
 captivam duxerit captivitatem & dona accepit πνεῦμα in homine,  
 vel ratione humanitatis. Quod Propheta Dominicæ Ascensioni ra-  
 tione Φανερώσεως, quo ad nos, tribuit, id Apostolus ad primū prin-  
 cipium referens factum ait in descensu Christi ad inferiores terrae partes,  
 per quas Apostolus beatæ virginis Mariæ uterum intelligere non  
 potest, cum Christum jam incarnatum introducat; nullumq; præ-  
 terea testimonium in sacris occurrat, in quo maternus uterus cum  
 celo



cælo conferatur. In Psalmo quidem 119, 16. David maternum ute-  
 tum infimam terræ partem appellat, verum in absoluta locutione,  
 cum Apostolus comparatam habest. Neq; de sepulchro Christi hæc  
 inferior terræ pars explicari poterit. Apostolus namq; Christo è se-  
 pulchro rediivo, inq; gloria constituto hunc gloriosum descen-  
 sum tribuit. Inde consequitur, Apostolum per *κατωτέρα μέρη τῆς*  
*γῆς* locum intelligere, vel spirituale nō infernalis carceris, quē no-  
 ster Ferruptor hoc suo descēsu gloriosè commovit, suamq; de mor-  
 te reportatam victoriam toti infernali Regno hoc peculiari actu  
 potenter manifestare voluit. Nominatur autem *infernus infimæ terræ*  
*pars*, non ratione naturalis situs, quasi infernus in centro terræ sit,  
 uti Pontificij fingunt, verum iuxta communem sententiam & intel-  
 lectum ratione summæ distantia vel magni *χάσματος* Luc. 16, 26.  
 à sede beatorum, quam supremam Scriptura facit, non naturalis situs,  
 sed dignitatis respectu. Cum enim Scriptura de rebus spiritualibus & cœ-  
 lestibus sermo est, hæc vocabula supra & infra usurpantur quidem ex huma-  
 nâ consuetudine non definiuntur autem locis, sed dignitate & indignitate, Ma-  
 jestate & abiectione gaudio & horrore, letitiâ & tristitiâ. Hic ergò  
 Christi ad inferiores terræ partes descensus, ad statum gloriæ referen-  
 dus, cum Apostolus & ascensum & descensum in pari gloria sumat.  
 Quid est, qui ascendit nisi qui & prius descendit ad inferiores terræ partes.  
 Qui descendit, idem est, qui & ascendit super omnes cœlos VT omnis adim-  
 pteret, vel potenter & præsentèr omnia creaturis in ascensu & de-  
 scensu sibi subiectis dominaretur. De ejusmodi namq; impletione  
 eum præsentèr Dominio conjuncta, Apostolum loqui alibi demon-  
 stratur. Gloriæ verò hæc & universalis impletio nō dependet à statu  
*κενώσεως* neq; immediatè ab Incarnatione, multò verò minus à se-  
 pultura, verum ab illa exaltatione, quam Paulus partim per verum  
 ac realem descensum ad inferiores terræ partes, partim per ascensum  
*ὑπερταύτων πάντων τῶν ἐξουσιῶν* describit.

Alter Apostolicus locus huic finitimus est in Phil. 2, 10. ubi A-  
 postolus exaltationis meminit, quæ Christo post mortem obtigit, &  
 genu flexionis celestium, terrestrium & inferorum. Confer locum Esa.  
 45, 23. Per genuflexionem non politica aliqua reverentia intelligitur,  
 quâ subditi honorant Magistratus: sed humilima subiectio, reverē-  
 tia & honor religiosus cordis, Christo etiam humanitatis ratione  
 exhibendus, idq; ratione juris & divinæ ordinationis. Est enim



Diaboli, Judæi, Turæ & alij Christum potius blasphemant, quam adorant, ista tamen genuflexio ad ipsos quoq; pertinet. Apostolus n. id indicare voluit, non tam quid sit, sed quid fieri debeat, & tandem in novissimo die nolentes volentes agnoscent hunc Jesum quem blasphemarunt, Judicem ac Dominum suum. Quare hic genuflexio eam subjectionem significat, quæ sit à nolente volente etiam ab hostibus Psal. 22, 30. Psal. 72, 9. quod sin id facere detrectaverint, durum erit eis contra stimulum calcitrare Actor. 9, 5. Nihil verò, (intelligentium præsertim & rationalium creaturarum) excipit Apostolus. Christo namq; subiecta sunt omnia, omnia subiecta sunt pedibus ipsius & μόνον ἐν τῷ αἰῶνι ἴστω, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι Pl. 8, 7. Eph. 1, 21, 22. in eo autem quod subiecit ei omnia, & δὲν ἀφῆκεν αὐτῷ ἀνυπότακτῶν Ebr. 2, 8. Propterea Apostolus universalem illum complexum omnium illorum subiectorum tribus vocabulis μερικῶς exprimit, *caelestium, terrestrium & inferorum*. Per *caelestes creaturas* intelligit partim sanctos Angelos, partim animas beatorum, qui genera quidem non habent corporalia, flectunt tamen genera suo modo, cum Deum Dominum suum agnoscent & adorant, sicuti in Apocalypsi legitur, quod Angeli magno numero (μυριάδες μυριάδων καὶ χιλιάδες χιλιάδων) coram Agno sedere in throno prociderint, eumq; adoraverint. Per *terrestria* homines intelliguntur ad unum omnes, pii pariter & impij, fideles & infideles, si jus subjectionis cum Apostolo spectemus. Dominatur enim hic à Patre exaltatus in medio etiam inimicorum suorum Pl. 110, 12. Per *subterranea* s. κατωχθόνια intelliguntur Diaboli, infernales spiritus, & omnes damnati, qui & ipsi hunc exaltatum Dominum metuere coguntur, & contremiscunt ad illius memoriam, nunc quidem sub metu, olim vero reipsa, ut Judicem quem in nubibus venientem videbunt. Ridiculi verò sunt Pontificij, qui purgatorium ignem hæc pericopa textus Apostoli accendi posse stultè opinantur, perq; *subterranea* intelligendas animas, quæ excruciantur igne purgatorij.

Hoc jus in *caelestes, terrestres & infernales* creaturas tribus distinctis gloriois actibus distinctis illis Creaturis Christus exaltatus manifestavit. *Caelestibus, magnifica in caelos Ascensione*; *terrestribus gloriosa ex mortuis resurrectione*; *subterraneis vel infernalibus hoc ipso ad inferos descensu*, non ut de novo ibidem quid pateretur (consummavit n. Liberato noster in cruce omnes Redemptionis nostræ partes Joh. 19, 39.) Verum & infernali exercitui suæ in passione reparatam vi-

gloriam



Gloriam hoc descensu efficaciter manifestaret, cuius victoriae manife-  
stum sensum & ocularem quasi demonstrationem in Dominica  
passione vix habuit. Hic ergò descensus uti gloriosus fuit, ita ad *ὑπερ-  
βύσσου* pertinet, Christoq; primum in statum gloria ingressum dedit.  
Verùm obijcitur, descensum notare humiliationem. R. Id non esse *κατὰ  
λα*. Ultimus Christi ad iudicium adventus per descensum describitur  
i. Thess. 4. 16. qui tamen in summa gloria futurus Matth. 25. 31.  
Deus descendit ut Iudex sine humiliatione ad videndum urbem il-  
lam & turrim Babylonicam, quam extruebant filij hominum Gen-  
1, 5. Descendere ergò & ascēdere in Eph. 4, 9, 10. & in his Articulis,  
non opponuntur inter se ratione distinctorum Christi statuum, sed modo-  
rum manifestationis, & quidem respectu unius ejusdemq; status exalta-  
tionis.

III. Huc referendum & Christi *ἐπιβύσσου* Os. 13, 14. in quo con-  
tinetur triumphus victoriosus, partim de morte, partim de inferno.  
De morte victoriam reportavit in gloriosa Resurrectione, de infer-  
no, suo ad inferos descensu. Vox enim *Scheol* in hoc Prophetico lo-  
co non sepulchrum notat, ut nonnulli interpretes volunt, sed infernum  
*ᾠδην*, cuius rei testem producimus omni exceptione majorem Apo-  
stolum Paulum 1. Cor. 15, 54, 55. Hoc ergo triumphale carmen tam  
à Propheta, tam ab Apostolo descriptum, non in statu *κενώσεως*, non  
in cruce, non in morte, non in sepultura à Christo decantatum fu-  
isse constat ( ibi namq; mors & infernus triumphus de Christo e-  
gerunt ) verum post sepulturam in sua partim Resurrectione, par-  
tim glorioso ad inferos descensu, cuius quidem descensus Apostolus  
*ἔκβησε* non facit expressam mentionem, sed generaliter tantum de-  
scribit triumphum Christi post mortem. Quia verò in hoc generali  
Triumpho mortis & inferni mentio fit, necessitas postulat, ut has duas  
triumphi species ita distinguamus, & triumphum de morte, Domi-  
nicæ Resurrectioni, triumphum de inferno Dominico ad inferos de-  
scensus adscribamus. a quibus quidem individuis, ratione tamen ob-  
jectorum inter se differentibus. Sed dubium hic oritur, ex Apostoli-  
cis verbis. Si in universali demum Resurrectione hic Propheticus  
triumphus implendus, utiq; in Dominica Resurrectione non est  
impletus. Hoc dubium distinctionis beneficio omnium optimè  
dissolvitur. Distincti namq; sunt impletionis modi, In Dominicâ  
Resur-



Resurrectione & descensu ad inferos ille triumphus impletus est *metaphorice & causaliter*, in universalis demum Resurrectione idem triumphus implebitur effectus vel consummative & finaliter, idque ratione universalis *Φανερώσεως*. Nam & electi, qui ad aeternam vitam resurgent, ut Dominici Triumphi & ipsi triumphum ultimum agent, Diabolo, morti, inferno, ob plenam & finalem liberationem insultaturi. Propterea Apostolus usus est verbo finalem quasi consummationem vel futuram notante: *Quando vero Christus induet, ἀφ' αραρίων, καὶ ἰσθμῶν ὄν induet ἀθανασίας ἵνα γενήσεται ὁ λόγος*. &c. tunc fiet, i. e. perfecte & finaliter implebitur Prophecticus ille sermo: *Mors est absorpta in victoriam* &c. Gratia ergo Deo, qui nobis dedit victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum 1. Cor. 15. 57. Totus ergo Christus divinitate & humanitate anima & corpore post mortem non metaphoricè vel Metonymicè, sed realiter in infernum descendit, non ut animas Patriarcharum & fidelium UT inde liberaret: neque ut post mortem de novo quid in inferno pateretur, sed ut inferno & infernali militie suam per mortem reportatam victoriam vivus gloriosè manifestaret, sequè ipsam personaliter infernalibus hostibus victoriosè presentaret. Nullum ergo dubium hunc gloriosum Christi descensum eo momento peractum, quo anima corpori Christi post mortem uniebatur. Hic enim descensus nullo temporis intervallo pro natura glorificati corporis opus habuit, quin potius unico oculi actu perficit potuit, absque confusione Articulorum Descensionis & Resurrectionis, cum per hunc eum Christi actum intelligamus, quo è sepulchri claustris redivivus factus in momento gloriosè resurrexit & per illum verò eum Christi actum intendamus, quo in primo unionis animæ cum corpore momento, cum ingenti illo terræ motu de quo Matth. 28, 2. peculiari actu pro natura gloriosi corporis, & loci conditione infernum adiit, modo in obscuro latitante, nobisque in hac mortalitate plenè inexplicabili. Verùm intimationis angustia telam hic abruptere jubet.

Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis Azymi, etenim Pascha pro nobis immolatum est Christus. Hoc ergo festum celebramus non in veteri fermento, neque in fermento malitiæ & nequitie (comestrationis, helvationis) sed in Azymis (pictatis) sinceritatis & veritatis. Fiat porrò tue Domine super nos misericordia, quemadmodum speravimus in te, Amen.

IN



# IN GLORIOSUM JESU CHRISTI, & CHRISTIANORUM PASCHA,



Vcidum caligine,  
 Nox atra cœli texerat;  
 Sol cruëto abscondit;  
 Vapore tristes lique-  
 Quotquot orbis incole (rat,  
 Egrum trahabant Spiritum.  
 Nunc tenebris amplius  
 Locus negatur horridis.  
 Nam jubar per liquidum  
 Novum resulget æthera.  
 Quale sit, quid indicet,  
 Spectare mortales juvat.  
 Ex tenellâ virgine  
 Homo Iehova natus est;  
 Proq; mundi crimine  
 Cruentâ sensit vulnera.  
 Dente demum Cerberi  
 Actus sepulchro conditur.  
 Hinc dolorem lugubrem  
 Ad nepotes ceperant,  
 De salute ceu foret  
 Adum, fideq; supplicum.  
 Christus at Rex gloriæ  
 Bustum relinquens frigidum  
 Tanta monstrat robora,  
 Styx quanta nunquam senserat.  
 Hercules olim suos  
 Clava fugavit invidos;  
 Millies sed hic gigas  
 Virtute superans Herculem,  
 Claustra rupit inferum,  
 Victorq; lethi prodiit.  
 Qualiter Sol splendidum  
 Vbiq; vultum porrigit,

Cum cubile roscide  
 Matute ab ortu deserit:  
 Sic corruscat lumine  
 Iehova mundo redditum.  
 Huic honos et gloria  
 Per omne seclum competit.  
 Nam resurgendo pits  
 A morte fecit transitum.  
 Tincta diri toxico  
 Confregit orci spicula:  
 Atq; nobis vindice  
 Trophea struxit dexterâ.  
 Cum quibus si compares,  
 Que Roma quondam crexerat,  
 Nostra tantum prominent,  
 Phœbea quantum lumina  
 Subter alti fornice  
 Poli, fugato fidere,  
 Et quis ex ergastulo  
 Vinculis solutus exeat,  
 Qui redemptori suo  
 Grates neget persolvere?  
 Huic obœdientiam  
 Subjecta præstet gens pia,  
 Nam solum solo creat  
 Nutu, saliq; beluas.  
 Et suo terra domat  
 Sceptro patuit incolæ,  
 Omnium manu potens  
 Regum prehendit pectora,  
 Ac movet sublimia,  
 Quò fata suadem provida.  
 Si qua vis appareat  
 Extra iuventis ordinem,



Hanc acuto acinae  
Ferit, statimq; deprimit.  
Sed dolor contrarium  
Dissat serentibus mala;  
Quando deditos sacris  
Rebus pericla degravant,  
At DEI coelestia  
Dubium refellunt dogmata:  
Error Ade plurimus  
Semper nepotes implicat,  
Qui superna Numina  
Ad puniendum commoret.  
Si statim procederent,  
Quis innocens occurreret?  
Virga quapropter Patris  
Summi ruinam praecaret,

In timore & desipio  
Serpat perenni filios.  
Viq; labem tetrici  
Vitare satagam criminis,  
Dura castigatio  
Vibice sulcat tergora.  
At reportat centuplas  
Maligna poenas concio.  
Ergo honor sit & decus  
Regi lehore maximo,  
Qui nefanda lividi  
Draconis ausa sustulit,  
Et sibi fidemibus  
Inter furores hostium  
Indicavit liberum  
Ad tuta castra transitum.

M. Christophorus Eilardus,

P. P.

